

sola sine interventu alterius causæ, et sine morali influxu primam omittere, potest et secundam, et omnes alias illi connexas, et virtualiter ibi inclusas, quæ unius omissionis moralitate comprehenduntur; verbi gratia, si gubernator navis sit absens tempore tempestatis, et non velit ire ad succurrendam navim, hoc ipso etiamsi non interveniat præceptum, vel obligatio, voluntarium est illi non esse in navi, neque gubernare navim; et similiter nolenti exire domo voluntarium est non audire missam, etiamsi non sit de præcepto, quia omnia ista nomine unius omissionis quasi continuatæ, et extensæ per plures omissiones physicas sibi invicem connexas comprehenduntur.

LVIII. Cæterum illi effectus qui posita tali omissione sequuntur interveniente altera causa, quæ non est in potestate voluntatis, nec sequuntur ex omissione, nisi quatenus illa ommissio non impedit talem causam, tales effectus non possunt dici voluntarii, et a voluntate procedere ratione alicujus connexionis, aut influentiæ ipsius voluntatis, seu omissionis ejus in tales effectus, quia revera talis connexio physica non datur; et ideo ad hoc ut dicantur esse a voluntate, seu ut reddantur voluntarii, indigent saltem aliqua connexionem morali, quæ fit mediante aliquo debito, seu obligatione, et aliqua influentia morali, quæ consistit in hoc quod permittat voluntas, seu non impediat tales effectus, quando deberet impedire, ut in exemplis supra allatis submersio navis non est voluntaria omittenti gubernationem ex aliqua connexionem physica immediata, et per se cum tali omissione; sed intervenire debet alia causa, nempe tempestas, quæ submergit navim. Et similiter si non succurro rixanti, sequitur occisio mediante alia causa, scilicet occisore,

qui a mea voluntate non movetur. Et idem erit de effectibus negativis, qui non sequuntur immediate ad omissionem, sed intervenire debet alia causa, quæ a voluntate omissentis non movetur: sicut ex eo quod aliquis occidatur me vidente, et non succurrente, sequitur viduitas in uxore, aut paupertas in filiis, quæ tamen mihi ex vi omissionis illius voluntaria non sunt, si non eram obligatus succurrere: et ex negatione auxilii efficacis sequitur aversio peccati, et tamen non est voluntaria Deo neganti auxilium, quia non sequitur immediate, et per se ex sola negatione auxilii, sed interveniente causa defectuosa, quæ non obstante negatione auxilii ad bonum vult operari.

LIX. Ad fundamenta oppositæ sententiæ patet ex dictis. Ad primum negatur antecedens, et ad utramque probationem constat disparitas inter omissionem in se, et inter effectus consecutos interventu alterius causæ non impeditæ per talem omissionem; tunc enim ille effectus non est ex influxu voluntatis per se, et physice, sed solum ratione alicujus debiti, et obligationis, ut explicatum est. Ipsa autem ommissio ex se est in potestate voluntatis, quia immediate potest voluntas agere, et non agere, sive suspendendo omnem actum, sive de uno ad alium divertendo. Et tunc si voluntas divertit ad alium actum, sequitur ommissio per accidens, id est, comparatione ad alium actum, quia mediante alio actu sequitur, non tamen mediante alia potentia, quia mediante eadem potestate voluntatis sequitur, hoc ipso quod divertit ad alium actum: effectus autem de quo loquimur sequitur mediante alia causa, quæ non est immediate in potestate voluntatis. Et sic negamus quod ille effectus sit a voluntate, ut a principio intrinseco (quod

requiritur ad voluntarium) sed solum ex eo quod non impedit causam, quæ illum inducit: unde non habet connexionem positivam simpliciter, et absolute ille effectus cum voluntate sic omissente, sed solum si debeat, et teneatur impedire causam illam, quæ facit talem effectum: connexio autem debiti, et obligationis est causa moralis, non autem ex præcisa omissione voluntatis fundatur. Si enim ab alia causa, quam a voluntate quoquo modo impediretur, effectus non sequeretur, et sic non ex connexionem præcise cum voluntate sequitur talis effectus. Illi autem effectus negativi, qui referuntur in argumento, sunt immediate connexi cum omissione; et ideo censentur omnes una ommissio, moraliter, et per quamdam continuationem.

LX. Ad secundam probationem dicitur, quod præceptum tam respectu omissionis, quam respectu effectus secuti est principium extrinsecum physice, sed est intrinsecum moraliter quatenus in ipso intellectus dictamine, et in ipsa voluntate relinquit obligationem, et debitum; quod quidem voluntati, et intellectui intrinsecum est moraliter, quatenus homo sentit se obligatum legi, et cum tali obligatione cognita omittit impedire causam, ex qua sequitur physice effectus. Ratione autem illius debiti, et obligationis, censetur talis effectus moraliter esse a voluntate, non ut influente, sed ut debente influere, id est, impedire: sic enim in æstimatione hominum perinde censetur ac si influeret. Effectus ergo ille indiget tali influentia morali, ut saltem moraliter voluntarius sit, quia physice non est a voluntate, nec ab ejus influentia: ut autem ipsa ommissio voluntaria sit, non indiget isto debito, et influentia morali, quia immediate est in potestate voluntatis, quæ per se

ipsam potest agere, et non agere immediate.

LXI. Denique, ne facile paralogizemus in hac parte, oportet semper distinguere voluntarium directum in omissionem a voluntario indirecto, de quo solum locuti sumus. Si enim aliquis velit ipsam omissionem tamquam medium ad hoc, ut consequatur effectus tamquam finis, tunc ommissio est directe volita, et ipse effectus sic secutus, etiam nullo stante præcepto, vel obligatione, non solum erit voluntarius; sed etiam directe volitus, quia est intentus a voluntate, et ordinat omissionem ad ipsum consequendum tamquam medium, vel tamquam aliquid requisitum ad finem. Unde non indiget influentia morali ex parte debiti, ut voluntarius sit, sed ratione propriæ volitionis, qua intendit illum effectum, voluntarius ille est, quia acquisitio, aut exhibitio ejus ex tali volitione, quasi ex quadam influentia voluntatis est. Sed nos non loquimur in tali casu, sed solum quando voluntarium est indirectum, et sine tali intentione, aut ordinatione voluntatis fit ommissio, et interveniente alia causa non quidem a voluntate intenta, sed solum permissa, seu non impedita sequitur effectus. Et eodem modo si ex intentione omittendi, fit aliquis actus positivus, verbi gratia, ex intentione omittendi sacrum aliquis ludat, vel studet, talis ommissio etiam nullo stante præcepto, non solum est voluntaria, sed etiam volita, et intenta.

LXII. Quomodo vero ommissio sic volita, aut voluntaria influat in actus, sive ex illa secutos, sive ad illam volitos ut medium, sive illam comitantes ex præsuppositione quod jam sit volita, et vitare illos possit ratione talis concomitantia, non est presentis loci, sed infra quæstione LXXI, cum agetur de peccatis, quia

hoc non ad rationem voluntarii, sed ad imputabilitatem, vel moralitatem actus spectat.

DISPUTATIO IV.

DE INVOLUNTARIO, EJUSQUE CAUSIS.

ARTICULUS I.

An voluntas possit violentiam pati in suis actibus, et quot modis?

I. Sicut voluntarium causatur ex duplici principio, scilicet ex appetitu operante, qui est principium intrinsecum, et ex cognitione dirigente: ita oppositum ejus, quod est involuntarium, oportet quod causetur ex oppositis principiis, scilicet, vel quia operatio est a principio extrinseco, sicut violentia, et metus; aut quia tollitur, vel ligatur, aut turbatur cognitio, sicut fit per ignorantiam, et passionem; et ideo de his omnibus in ista disputatione inquirendum nobis est, incipiendo primum a violento in isto articulo, et deinceps de aliis.

QUÆDAM NOTANDA.

II. Multa, quæ hic late solent tractare expositores præsupponenda a nobis sunt, quia relinquuntur tractata in secundo physicorum, et ideo sufficit nunc indicare illa.

III. Supponimus primo, definitionem violenti, quam tradidit Aristoteles II ethicorum, cap. I, his verbis: « Violentum est id, quod habet principium extra nihil conferens eo, cui vis illata est. » Quod aliis verbis solent alii dicere: « Quod violentum

est a principio extrinseco passo non conferente vim, » id est, non influente passo per propriam virtutem in operationem violentam. Quæ definitio etiam traditur a Damasceno, et Nysseno, communiterque acceptatur a theologis. In ea autem inveniuntur duæ conditiones requisitæ ad rationem violenti. Prima, quod principium violentiæ sit ab extra: quod enim intra ipsum operans est, non infert violentiam, nec repugnantiam, sed naturaliter convenit; principium enim intrinsecum naturale, et proprium est. Secunda conditio est, quod passum, seu res illa, et subjectum, cui violentia fit, ita patiatur illam, quod non conferat vim, id est, non adjuvet, neque influat per suam virtutem, seu vim, sed neque consentiat motui violento, sed resistat, aut repugnet. Nec sufficit passum pure negative se habere sustinendo motum alterius, et obediendo illi, sed requiritur repugnantia, et resistentia saltem per oppositam inclinationem, alias dona supernaturalia gratiæ, quæ nobis infunduntur, essent violenta, quia principium a quo provenient est extrinsecum infundens illa, passum autem, scilicet anima non confert vim ad talem infusionem, sed mere negative se habet in recipiendo, quia recipit illa per solam potentiam obedientialem, quæ est mera non repugnantia, sed quia non resistit, nec habet inclinationem in oppositum, non dicuntur violententer introduci talia dona.

IV. An vero philosophus nomine violenti comprehendat etiam illud, quod est præter naturam, et non solum contra illam, sicut quando ignis movetur circulariter, quod quidem est illi ab aliqua sui impressa ab extrinseco, non tamen est contra ejus inclinationem, sicut moveri deorsum, sed præter illam, non est tanti momenti, quia ut diximus

quæstione nona physicorum, articulo quarto, in fine. Philosophus in illa definitione allata accipit violentum lato modo, prout etiam comprehendit præternaturale, quod quidem est a principio extrinseco sine influentia, aut conduentia ex parte passi, etiamsi non habeat repugnantiam, aut inclinationem contrariam. Violentum autem stricte dictum, prout de eo loquimur in præsentia, dicit aliquid illatum contra repugnantiam inclinationis, sive naturalis, sive voluntariæ. Nec tamen sicut includitur præternaturale in definitione violenti tradita a philosopho, ita includetur supernaturale, quia hoc licet infundatur non repugnante, sed obediente natura, tamen quia facit operari juxta modum naturæ, elevando ipsum principium intrinsecum, ut vitaliter, et voluntarie operetur, ideo non includitur in præternaturali, et violento, sed super ista est.

V. Secundo supponimus ex dictis citato loco in quæstione nona physicorum, violentiam posse inferri, non solum principio activo, vel formali resistenti, sed etiam passivo, quod etiam resistere potest quando fit in illo aliquid contra ejus naturalem inclinationem. Contrarium hujus sentit Vazquez hic disputatione xxv, capite III, putat enim principium mere passivum, verbi gratia, materiam primam proprie, et in rigore non esse naturam, et consequenter nihil illi esse violentum, licet videatur illi contrariari, quia non est contra naturam. Sed contrarium fundamentum nempe non requiri ad rationem naturæ principium activum, sed sufficere passivum, quale est in materia prima, omnino est constans apud Aristotelem, et D. Thomam, ut ibidem ostendimus. Unde ipse sanctus doctor VIII physicorum, lectione VIII, reprehendit aliquos, qui dicebant, de-

bere poni in materia principium activum, ut motus ejus esset naturalis, sed dicit sufficere ad hoc principium passivum; ergo hoc sufficet, ut materia sit natura, si sufficit ut motus ejus sit naturalis. Et ita concludit ibi D. Thomas: « Esse contra intentionem philosophi, quod in materia sit principium activum, quod quidam dicunt esse necessarium ad hoc ut sit motus naturalis, sufficit enim quod sit passivum, quod est potentia naturalis ad actum. » Quare si principium passivum sufficit ad rationem naturæ, etiam sufficet ut sit capax violentiæ, quia violentum est contra naturam a principio extrinseco, et ita quidquid contrariatur principio passivo in eo quod passivum est, erit ei violentum. Posse autem contrariari aliquid principio passivo patet, quia etiam in quantum passivum habet inclinationem, et appetitum, tum ad formam, ut informetur; tum ad agens, ut ei obediat, et ab eo patiatur: unde et materia prima intrinsece in se est appetitus ad formam. Ergo si removeatur principium passivum, et impediatur a tali inclinatione, et a consecutione sui appetitus, patietur violentiam, et repugnabit, quantum illa potentialitas possit, tali impedimento; si quidem inclinatur in oppositum, et quantum est ex se conatur non retinere tale impedimentum ratione improportionis suæ passivæ receptibilitatis ad tale activum, vel ad talem statum. Ut verbi gratia si materia proxime disposita ad unam formam impediatur, ne obediat naturali agenti in recipiendo illam, aut si posset materia ab omni forma separari, talis status denudationis esset ei violentus, quia inclinationem, et appetitum habet ad formas. Quod totum citata quæstione nona physicorum declaravimus, et infra iterum attingemus.